

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0176

0174

0180

0170

165

quievimus ibi usque mane sic in vestibus, nisi quod ocreas
et calceamenta deposuimus.

De ascensu peregrinorum in montes Engaddi, et de
quodam jocundo casu F. F. F.

Duodecima die surgente sole et nos solo prostrati capita
levavimus, dulcem enim somnum et quietem habuimus, quia
fessi eramus, et cum hoc in tuto et seculo ac mundo loco
fuimus. Porro Ameth, ductor noster, videns diem claram
clamavit, adhortans nos ad celerem montium ascensum, an-
tequam sol incalesceret. Cum festinantia ergo disposuimus
nos. In ipsa autem dispositione ad iter accidit mihi aliquid,
quod, quamvis sit puerile et nullius momenti, est tamen jo-
cundum, et volui evagatorio meo factum inserere, quia, ut
promisi in principio evagatorii fol. 2., non solum seriosa, sed
et jocunda et puerilia recitare placuit. Resedi ergo, et in-
duendo calceamenta laboravi (243 A). Erant enim calcea-
menta mea stricta satis, ita quod non potui nec detrahere
nec induere nisi vi et labore, et fuerunt de corio pretioso,
gilbo et molli, longa sursum usque ad genua, quasi ocreae.
Ita etiam alii milites calceati erant, et fuerunt illa calceamenta
nobis pro caligis et ocreis. Accepto ergo dextro calceo ad
pedem cum impetu traxi fortiter; cum autem cum pede essem
intus, sensi sub pedis planta coagulum humidum et aliqualiter
solidum, et obstupui, timens, ne forte aut scorpio, aut bufo,
aut serpens complexus calceum intrasset, praesertim cum
mihi videretur, quod motum palpitantis bestiae sub planta
sentirem. Et quamquam pedis intoxicationem timerem, non
tamen detraxi calceum, quia omnes alii jam in asinis sedeabant
et ascendebant, post quos solus manere formidabam. Fortiter
tamen pedem super lapidem pressi, ut bestiam interimerem,
et ita mulam meam ascendi non sine timore periculi veneni.
Interea in ascensu ad strictum quandam et praecipitem tran-
situm venimus, per quem unus post alium lento gradu propter
casum bestiae adscendit, nec potuit unus post alium statim
procedere, sed oportebat exspectare omnes infra existentes,
quoque praecedens totaliter ascendisset. In illo ergo loco

0185

0165

0225

0125

0275

0075

0675

Ende

Anfang

